

CANCELL:  
MARTIS B:  
. 1.7 17.:



oo Da

DECANVS  
COLLEGII PHILOSOPHICI  
IN  
*ACADEMIA LIPSIENSI*

L. B.

AD ACTVM  
RENVNCIATIONIS B. A. ET PHILOSOPHIAE  
BACCALAVREORVM

*D. XII. DECEMBRIS A. C. c1o 1000XI*



H. L. Q. C.

SOLENNITER CELEBRANDVM  
OFFICIOSE ET PERAMANTER  
INVITAT



DECAVVS  
COLLEGII PHILOSOPHICI  
ACADEMIAE LIBERAE  
AD ACTVM  
REINSTITVTIONIS D. & ET PHILOSOPHIAE  
BACCALAVREORVM  
D. III. DECEMBERIS A. C. MDCCCLXXV  
H. L. G.  
FORNITVS GILBERTVS  
CANTOR ET VERMANTER  
INVTAT





Um sua quisque trahatur voluptate, certa que homines sequantur studia, quæ mentes ipsorum occupant, ac fere totas sibi vindicare solent; tum vero id ipsum luculenter apparet in eis, quos librorum tenet amor, quippe cuius maxima certe in animis mortalium vis esse deprehenditur. Pereleganter hunc Φιλοβιβλίας affectum descripsit IVLIANVS Imperator, nec mihi temperare possum, quo minus eloquentissimi Cæsaris verba adducam: "Άλλοι μὲν, inquit, ἵππων, ἄλλοι δὲ ὀρνέων, ἄλλοι θηρίων ἐρωῶσιν. ἐμοὶ δὲ ΒΙΒΛΙΩΝ ΚΤΗΣΕΩΣ ἐκ πειραιῆς δεινὸς ἐντέθηκε πόθος. Quæ Romano sermone ita expresseris: Alii quidem equis, alii avibus, rursus alii ferarum venatione sese oblectare solent; mihi autem a puero insita quedam est vel potius innata librorum cupiditas, ardentissimumque eorum desiderium. Quæ dum profero, mirari satis nequeo, quid in mentem venerit IO. In Epistola, ALEXANDRO BRASSICANO, ut hanc ipsam sententiam, *Salviano, ab ipso edito, præfixa.* iisdem plane verbis conceptam, MARCO ANTONINO Imp. cognomento Pio & Philosopho, adscribendam existimaverit, quam in Commentariis, a sapientissimo Imperatore scriptis, nunquam me legisse memini, a IVLIANO autem, epistola IX, prolatam invenio. Ac certe quantus in libris undiquaque conquirendis IVLIANUS fuerit ardor, non solum ex XXXVI ejus epistola intelligitur, *p. 411.* qua Porphyrium, (uti Eedicium Ægypti Præfectum hac ipsa epistola IX) βιβλιοθήκην πολλὴν καὶ μεγάλην, a GREGORIO relictam, diligenter atque studiose perquirere, investigatamque Antiochiam mittere jubet; verum etiam locuples ejus rei testis est LIBANIVS, ita de eo scribens: βιβλία πάντα πανταχόθεν ἐξέειλκε, καὶ τὰ ταμίαια ταῦτα διηρηνήσατο μάλλον, ἢ τὰ τῶν χρημάτων ἕτεροι. *In Paneg. Jul. Opp. tom. 2.*

Neque tamen solus is βιβλίων κλήσεως cupiditate flagrasse existi-

Diod. Sic. l. r.  
c. 49.

Cellius Noth.  
Ant. lib. VI.  
c. 21.

(a) in Praef.  
Erorematibus  
Gr. L. prae-  
missa.  
(b) in Synt. de  
Bibliothecis.  
(c) in Lib. de  
Biblioth.  
(d) de Biblioth.  
Augusta.

mandus est, quem cum tot clarissimis Regibus ac Imperatoribus com-  
mune hoc studium habuisse constat. Ipsa illa praece remotissima-  
que ætatis monumenta hodiernum tanquam in ruinis conspiciendum,  
nobis præbent illud  $\Psiυχῆς \text{ιατρῆων}$ , Bibliothecam nimirum sacram,  
quam in Ægypto condidit antiquissimus illius Rex, OSYMAN-  
DVAS. Quid de PTOLEMAEIS dicam, quos vel nominans,  
Principes  $\Phiιλοβιβλατάτες$  mihi nominare videor. Adeo summum  
atque singulare eorum in comparandis præstantissimis quibusque  
omnis generis, ætatis omnis, omniumque gentium sapientiæ moni-  
mentis studium notum est, atque apud omnes pervulgatum. Equis  
enim est, qui PTOLEMAEI, cognomento PHILADELPHI,  
mentionem facta, non statim locupletissimæ illius, ut quæ septingentis  
voluminum millibus constitit, totoque terrarum orbe celeberrimæ  
quondam Bibliothecæ, Alexandria ab ipso extructæ, recordetur; quin  
protinus in memoriam sibi revocet immortale ejus facinus, quod  
edidit, cum sacrosancta Mosis atque Prophetarum scripta in Græcam  
linguam transferri curaret. Sed enimvero, quemadmodum instituti  
nostri ratio non patitur, ut ad cæteros nunc progrediar, omnesque  
illos ordine commemorem, qui regio quamvis diademate conspicui  
personis tamen suis haud indignum indecensve putarunt, librorum  
amori sese tradere, & ut propensionis suæ satisfacerent, cum publicæ  
rei administratione, Bibliothecarum vel erigendarum vel augendarum  
studium divino consilio coniunxerunt; ita præcipuos scriptores no-  
minasse sufficiat, qui hoc ipsum argumentum luculenter tractarunt, sa-  
tisque amplos  $\Phiιλοβιβλων$  Purpuratorum catalogos contextuerunt,  
MICH. NEANDRVM, (a) IVSTVM LIPSIVM, (b)  
IO. LOMEIERVM, (c) & HERM. CONRINGIVM. (d)  
Neque vero hodie, quæ rara temporum nostrorum est felicitas, inter  
Principes summosque Imperantes desunt, qui Bibliothecarum curam  
agant; quin etiam, quod magis adhuc mirandum est, sunt quidam eo-  
rum, quos ipsos Bibliothecas  $\epsilon\mu\psi\upsilon\chi\epsilon\varsigma$  dicere queas. Non opus est,  
ut hæc augusta Orbis litterati sidera extra patriam quaramus, & vel ex  
Gallia, Italia, ceterisque Europæ regionibus tanta decora arcessamus;  
ipsa Germania nostra longe illustrissima Principum  $\Phiιλοβιβλων$   
exempla admirari nos jubet. Incomparabilis certe est, nec nostris  
solum,

solum, sed pæne omnium gentium litteris atque linguis celebratur  
 nunquam satis laudandus amor, quo in bonas litteras fertur FR I-  
 DERICVS III, Borussiae Rex atque Elector Branderburgicus;  
 qui quidem, dum has ipsas inaudita prorsus munificentia fovet atque  
 tuetur, simul etiam illarum monumentis magnopere delectatur, ac in  
 illis adeo conquirendis atque conservandis nullis sumptibus parcat.  
 Et quid opus est verbis, ubi rerum testimonia adsunt? Profecto pre-  
 tiosissima illa, quibus Regia *πεντάπολις*, Berolinum, superbit,  
*βιβλίον ταμνεία*, Bibliothecæ inquam, tum quæ FRIDERICI  
 GVILELMI Electoris auspiciis erecta sub Augusto filio stupenda  
 prorsus incrementa cepit, tum altera SPANHEMIANA, niti-  
 dissimis libris constans, & nuper admodum schedis mss. ab Illustrissi-  
 mo Viro relictis, jussuque Regis Londini studiose collectis, adaucta;  
 & illa prisca operis thesauris refertissima Musea, incredibilem Regis  
 sui in litteras literarumque subsidia atque ornamenta amorem  
 abunde testantur. Quod si ulterius pergere animus esset, Heidel-  
 berga nobis ostensura foret elegantissimam CL. V. IO. GEOR-  
 GII GRAEVII supellectilem librariam, Electoris sui munificen-  
 tia comparatam, & in locum Bibliothecæ veteris Palatinæ repositam;  
 tum vero Guelferbytum accessurus contemplari liceret Biblio-  
 thecæ Augustæ felicitatem, qua sub Celsissimo Possessore suo fruitur;  
 quippe cujus quantum in ea ornanda sit studium, vel Codices illi *Gu-*  
*ldiani*, ex Holfatia nuper allati, clarissimo sunt documento. At quid  
 Principes Germaniæ *Φιλοβιβλῆς* investigamus, quorum Saxonia  
 nostra par nunquam satis admirandum fovet. De GVILEL-  
 MO ERNESTO loquor, & MAVRITIO GVILELMO;  
 qui, quantum alii magnificis substructionibus, spectaculis, epulis, ve-  
 nationibus, aliisque, quibus opes perduntur, rerum vanissimarum,  
 oblectamentis tribuere solent, tantum ipsi mentis his deliciis, ejus-  
 demque excolendæ instrumentis, libris puta, impendunt; nec modo  
 exquisitissimas Bibliothecas, ille quidem Vinarie suæ, hic Cizæ, instru-  
 xerunt, verum etiam, quod de Augustæ Bibliothecæ Conditore olim  
 affirmavit CONRIN GIVS, non minus usu librorum gaudent, *De Biblioth.*  
 quam possessione; ideoque nunquam non horum aliquem sive in con- *Aug.*  
 filium sive in liberalem animi delectationem adhibent. Quemad-  
 modum vero illa, de qua hætenus dixi, Regum atque Principum,  
 quibus

quibus Rerum publicarum atque Civitatum Magistratus ultro libenter-  
 que adjungimus, φιλοβιβλία æstimari satis atque prædicari nequit;  
 qua, uti Bibliothecæ apud Florentinos Medicæ Inscriptio testatur, in pa-  
 triæ ornamentum, civiumque salutem convertitur; ita idem ille libro-  
 rum amor in privatis, si quidem ultra eorum sortem is processerit, non  
 omni reprehensione carere mihi videtur. Sic nemo certe sapiens pro-  
 baverit id quod de ALDO MANVATIO relatum legitur, quippe  
 qui nimio librorum amore ductus, octoginta millia eorum, extremo  
 suo atque familiae suæ detrimento, collegisse fertur. Equidem igno-  
 sci privatis debere putat MORHOFIVS, si discendi cupiditate abre-  
 pti cum rei suæ familiaris jactura heic insaniant. Etenim si unquam, dicit,  
 unquam, hi demum absque ulla ratione agere, ac vere adeo insanire  
 mihi videntur, qui libris coemendis plus, quam par est, impendunt, nec  
 tam necessarios sibi libros comparare student, quam ut cupiditati suæ  
 inserviant, vel vanæ ostentationis causa, volumina cumulare solent.  
 Haud paucos certe videas, locupletissimas bibliothecas ostentantes,  
 quibus vel centum libri sufficere possent; imo vero, si & his destitueren-  
 tur, nulla profecto res publica litteraria detrimentum captura esset.  
 Sunt qui, nullo delectu habito, omnis generis, omnisque idiomatis li-  
 bros emunt, ut eruditi scilicet habeantur, quos quisque indoctos  
 litterarumque ignaros esse novit. Hos comice, ut solet, per-  
 frinxit LVCIANVS in libro, quem πρὸς ἀπαιδεύτων ἢ πολλὰ  
 librorum pompa eruditionis gloriam quærunt, χαρὰ κίθηρα nuper ad-  
 modum elegantissime descripsit V. CL. IO. GERHARDVS  
 MEVSCHEN, in Præfatione, TH. BARTHOLINI de Li-  
 bris legendis Dissertationibus, nuperrime recensis, præmissa. Sed  
 de hoc ipso argumento, quod uberiorem tractationem meretur, in  
 posterum plura dicemus. Nunc enim nobis commemorandi sunt  
 Viri Juvenes Ornatissimi, qui, quantum ex institutione eorum, qui  
 Humanitatis atque Philosophiæ studia publice docent, pariter ac  
 diligenti atque assidua optimorum librorum lectione profecerint,  
 ad examina rite admissi, Inclyte Collegio nostro abunde proba-  
 runt. Quare etiam idem illud dignos eos judicavit, quos publico  
 doctrinæ, indefesso studio comparatæ, testimonio ornaret; eoque  
 nomine

Polybist. Litt. pti cum rei suæ familiaris jactura heic insaniant. Etenim si unquam, dicit,  
 L. I. c. 3. p. 28. hoc cum ratione insanire est.

Opp. Luciani  
 T. II. p. 378.  
 ed. Amst.



nomine primam, quam vocant, lauream, hoc est, Baccalaureatus jura atque privilegia iisdem conferre decrevit. Nomina illorum, eo quidem, quem Leges præscribunt, ordine consignata, hac tabula exhibemus:

CHRISTIANVS GOTTLIEB BARTHEL,  
Nerchavia Misnicus.

CHRISTIANVS HENRICVS KOEPPE,  
Horburgo Misnicus.

CHRISTIANVS GOTTLIEB MEINIG,  
Lipfensis.

IOANNES CASPAR GOTTSCHALCK,  
Vratislaviensis.

ADAMVS HENRICVS LOHRMANN,  
Obergruna Misnicus.

IOANNES CHRISTOPHORVS LEH-  
MANN, Gœdav. Misnicus.

ANDREAS ERLMANN, Cygnea Mi-  
snicus.

CHRISTIANVS THALMANN, Tenn-  
stadiensis.

IOANNES GOTTFRIDVS RIEM-  
SCHNEIDER, Martisburgensis.

IOANNES GVLIELMVS SCHOENFEL-  
DER, Eubenstocka Misnicus.

IOANNES DANIEL KIESLING, Grai-  
za Variscus.

PAVLVS

PAVLVS CHRISTIANVS GILBERT,  
VVerda Misnicus.

IACOBVS GERING, Lipsiensis.

IOANNES OSVVALD KNAVER, Gera  
Variscus.

IOANNES AVGVSTVS OLEARIVS,  
Sangerhusa Thuringus.

Hos inquam Viros Juvenes, numero XV, proximo Saturni Die, in  
publica celebritate B. A. & Philosophiæ Baccalaureos renunciabimus.  
Quibus adeo solemnibus, more majorum peragendis, ut MAGNI-  
FICVS ACADEMIAE RECTOR, ac utriusque Reipublicæ  
Proceres, una cum Civibus Academicis, exoptatissima sua præsen-  
tia favcant, qua par est, reverentia atque humanitate rogamus,  
P. P. Dom. II. Adv. A. O. R. M DCC XI.

---

Litteris VIDVÆ CHRISTOPHORI FLEISCHERL

99 A 6989

ULB Halle 3  
002 824 795




56,

Retra ✓







Farbkarte #13

B.I.G.

18

CANVS  
 PHILOSOPHICI  
 IN  
 MIA LIPSIENSI  
 L. B.  
 ACTVM  
 IS B. A. ET PHILOSOPHIAE  
 LAVREORVM  
 EMBRIS A. C. cId Idccxi  
 H. L. Q. C.  
 TER CELEBRANDVM  
 SE ET PERAMANTER  
 INVITAT

